

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0517

0515

0521

0511

0526

0506

0566

0466

0616

0416

1016

0016

Ende

Anfang

502

dum mundum simul peragrarent, inde dii hospitibus suis non
ingrati eis ibidem grande templum aedificaverunt, constituen-
tes eos sacerdotes sacrorum, qui post ambo deificati fuerunt.
Sed et Dominus noster, Jesus, in tugurio diversorii nasci
voluit et numquam propriam domum habuit. Sanctus etiam
Paulus, primus eremita, interrogavit sanctum Antonium, an
adhuc Christiani more gentilium aedificia alta construerent;
audito autem, quod sic, amare dementiam reputans flevit.
Sic sanctus Bernhardus, quando tuguria pastorum calamo
contexta vidit, flevit recolens, casulis Cistertiensium esse similia,
quia tunc incipiebant habitare in magnis aedificiis. Et beatus
Dominicus, dum aliquamdiu non fuisse Bononiae et revenisset,
invenit dormitorium et cellas fratrum elevatas fuisse a terra,
cui imminebant prius; quod videns, magno moerore affectus
dixit: heu fratres, me vivente incipitis palatia aedicare, quid
me moriente erit? Et mandavit, remitti elevata et in pristi-
num statum reponi aedificium. S. Martinus, episcopus mag-
nus, cellulam contextam lignis habebat juxta suam ecclesiam.
Legitur de quodam sene eremita, qui habuit hospitium ad
sepulchri modum, quem cum imperator interrogasset, cui
suam domum commensurasset? respondit, corpori meo, quia
hoc sufficit hic homini pro hospitio et mortuo pro sepulchro.
Et addidit, melius prosilitur de tugurio in coelum, quam de
palatio in infernum. Unde Bernhardus: Obsecro, in peregrina-
tione hujus saeculi, in militia, frater, terram non aedifice-
mus nobis domum ad habitandum, sed tabernacula ad cur-
rendum, utpote cito evocandi et in civitatem patriam migra-
turi. Dicitur de Vulcano, fabro Jovis, quod ipse primo ad-
invenit aedificiorum pompas. Vide etiam de his P. 1. f. 237.

De monachis monasterii S. Catharinae et de pravis
eorum moribus vel gravibus erroribus.

Grave profecto est aliorum vitia reprehendere ei, qui se
ipsum nondum studuit a vitiis absolvere. Locuturus ergo de
monachis monasterii S. Catharinae potius cogente veritate in
eorum vituperium narrationem oportet deducere quam laudes
depromere, non obstante propriae vitae reprehensione. Habuit